

218

216

222

212

227

207

267

167

317

117

207

societate et rebus descendit in cellam Caliphi, quae mediat inter proram et carinam, quam pro domino comite defuncto conduxerat et ejus consociis, et ibi mansit. Dominus autem Joannes, archidiaconus Transsylvaniensis, et ego nondum provisi fuimus cum stantia et cumbis, unde illa nocte mansimus in loco pauperum, et rogavimus gubernatorem prorae et socios, quorum cumbae ibi erant, ut usque in crastinum paterentur nos cum eis manere, et benigne nos suscepserunt offerentes se ultro ad nostra obsequia. Res ergo nostras in rostrum prorae posuimus, et super eos sedimus, galeotae autem coenantes ministraverunt nobis de suo, panem, vinum et carnes. Sieque sedendo per totam noctem sub divo mansimus, nec erat locus, ut extensis membris jacere pro quiete possemus, quia ipsa prora repleta erat hominibus et tota galea, et quamvis pressi et angustiati sederemus, putavimus tamen nos esse in paradyso inter (B) angelos, pro eo, quod nullus paganus erat nobiscum, inter quos diu conversati fueramus in multis turbationibus, jam autem non nisi Christianos vidimus et audivimus, de quo ingens gaudium nobis fuit, in tantum, ut etiam in juramentis galeotarum, cum audiremus crucem et membra Christi et Sanctos, haberemus gaudium, non quidem in juramentis injustis et vanis, sed in cognitione jurantis per crucem vel membra Christi, quae juramenta erant nobis rara usque huc. Unde Dominus, promittens Aegypto bona futura Esaiae XIX., promittit, quod in terra Aegypti jurabunt per Dominum Deum exercituum, in hoc sui cognitionem innuens. Sic ergo nox illa transivit cum exigua quiete.

Cumbae provisio.

Tertia die statim orto sole dominus Johannes et ego dicto officio de prora per carinam in puppim transivimus, et in castellum, et in quo dominus capitaneus classis et consul alexandrinus, et Sebastianus galeae patronus manebant, cum caeteris multis zentilhomis ascendimus, et dominum patronum pro stantia et cumbis petivimus. Qui vocato scriptore navis et parano ac duobus custodibus carinæ, quos guardianos vocant, contulit cum eis de loco nobis dando. Accenso ergo lumine descendimus cum eis in carinam et omnes angulos lustravimus, in fine autem ad

Ende

Anfang